

Jahresbericht

über das

Königliche Katholische Gymnasium

in

Deutsch-Krone

in dem Schuljahre 1875—1876,

mit welchem

zu der öffentlichen Prüfung am 28. Juli

und

zu den Schlussfeierlichkeiten am 29. Juli

ergebenst einladet

der Director des Gymnasiums

Professor A. Lowiński,

Ritter des Rothen Adler-Ordens IV. Klasse.

NEUE FOLGE.

Nro. XXI.

- Inhalt: 1) Schedae criticae in Horatii epist. II lib. II. Von Director.
2) Schulschriften. Von Demselben.

Deutsch-Krone.

Druck von F. Garm's.

1876.



Handwritten text, possibly a name or title, centered at the top of the page.

Handwritten text, possibly a date or a reference number, located below the top line of text.

Handwritten text, possibly a short paragraph or a list item, located in the middle section of the page.

Handwritten text, possibly a longer paragraph or a list item, located in the lower middle section of the page.

Handwritten text, possibly a signature or a closing, located near the bottom of the page.

Small handwritten mark or number on the right side of the page.



Schedae criticae in Horatii epist. II lib. II.

In emendandis Horatii epistulis quid post tot tamque varios criticorum conatus etiam nunc reliquum factum sit, vix alio luculentiore exemplo demonstrari posse arbitror quam egregia*) epistula II libri II. quam quidem epistolam quum omnis venustatis leporis salisque Horatiani plenissimam tum aureis recte vivendi praeceptis et notitia eorum quae ad vitam ipsius poetae spectant v. 41—54 imprimis insignem quo lubentius lectitare cum primis meis soleo, eo gravius fero ac prope dixerim doleo emendationem huius praeclari literarum latinarum monumenti nimirum saeculorum decursu ut fit depravati nondum a criticis sic absolutam esse ut commode et cum fructu legi et intellegi hodie ab unoquoque possit.

Quapropter operae pretium videtur singulos quosdam huius epistolae locos intellectu difficillimos eisdemque manifesto depravatos necdum probabiliter emendatos a quoquam paulo accuratius pertractare et simul animi voluptatisque causa obiter et velut in transcurso experiri ac videre num forte ipsa Horatii manus divinando et sola coniecturae ope (scilicet vetustas et situ squalentes membranas frustra in hoc suavissimo terrae secessu quaesiveris) feliciter instaurari a nobis queat. verum enim vero plenum operae pretium ut hoc statim moneam is demum fecisse et omne punctum quod aiunt tulisse in crisi Horatiana mihi videtur qui non circa singulos locos vel adeo circa singula vocabula Horatiana caute timideque haerens in syllabis aut literulis apicibusve codicum perscrutandis ac resarciendis ieiune et exiliter versari satis habeat, sed potius ni fallor is qui ab eis quae modo memoravi tamquam a certo necessarioque fundamento profectus altiusque ut ita dicam assurgens et penitus in universam indolem ac mentem poetae se insinuans etiam ad ‚superiorem‘ illam quam vocant artis criticae partem quae interpolatione transpositione et lacunis continetur strenue et acriter animum attendere malit. quae quidem gravissima emendationis Horatiana pars a Benteio nescio quo pacto praetermissa (quod in tanto tamque incomparabili critico iure ac

*) Sic eam merito appellat **vir clarissimus Dillenburgerus** — quem unum ex Horatii interpretibus Instar omnium per gratissimam hanc scholae nostrae opportunitatem honoris causa nominare mihi liceat.

merito mirere) recenti demum memoria a criticis nostratibus Lehrsio*) et Ribbeckio**) in epistulis Horatianis laudabili ac fructuoso studio suscepta et tractata est. qui quamvis de singulis locis vel interpretandis vel emendandis haud raro valde dissentiant, tamen doctissimis subtilissimisque eorum disputationibus illud certe efficitur depravationem quum omnem tum praecipue interpolationem***) epistularum quidem Horatianarum (nam reliqua poetae scripta nunc non moror) aliquanto sane latius patere quam vulgo creditur. nec profecto illud mirum praesertim in hoc simplici incompto inornato vago et ob id ipsum liberiore neque ad severam artis normam accommodato epistolico genere scripti-
onis quale scite ut assolet adumbravit Lehrsius.*****) accedit quod haec de qua singillatim disputaturi sumus epistula suapte natura et indole ad recipiendas interpolationes inprimis idonea et tamquam facta videtur quippe cuius argumentum spectans illud ad poesim et sapientiae studium vitaeque praecepta vulgatissimum tritissimumque sit. qualia argumenta ex communibus literis petita et omnium ore celebrata in grammaticorum et rhetorum scholis multifariam tractata, variis sententiis et collectaneis dictis aucta amplificata atque exornata, deinde libris trivialibus sive enchiridiis scholasticis et florilegiis quae vocantur poeticis utcumque concinnatis inserta esse, denique per varias tot saeculorum vicissitudines vel fatuitate vel neglegentia vel fraude librariorum vel etiam alio quolibet casu in textum ipsorum poetarum irrepsisse quis tandem quaeso est qui nesciat? itaque in re apertissima ac notissima quam ut alios taceam Peerlkampius in praefatione Horatii sui plane et plene enarravit, diutius commorari nolo.

Sed quum hoc tempore quosdam qui Horatium inde a pueritia dies noctesque versarunt quem intus et in cute ut aiunt se novisse opinati sunt, tamen in crisi Horatianæ minus feliciter versari videam, nempe quia nescio quam ‚sobrietatem ac modestiam‘ iactantes (socordiam et ignaviam rectius dixeris) Flaccum nostrum singulari quodam fortunae beneficio an lusu e communi veterum scriptorum labe ac pernicie solum salvum evasisse eundemque nimirum per omne aevum intactum et quasi sacrosanctum habitum esse et ob id ipsum usque quaque integrum incolumem incorruptum ac vere genuinum permansisse temere sibi persuaserunt, talium videlicet criticorum causa haud supervacaneum videtur praeclara verba Ruhnkenii in epist. crit. I p. 5 gravissimam

*) Q. Horatius Flaccus. Mit vorzugsweiser Rücksicht auf die unechten Stellen und Gedichte. Herausg. von K. Lehrs, Professor in Königsberg. Leipzig 1869.

**) Des Q. Horatius Flaccus Episteln und Buch von der Dichtkunst mit Einleitung und kritischen Bemerkungen von Otto Ribbeck. Berlin 1869.

***) Hoc potissimum depravationis Horatianae genus singulari studio et sibi propria quadam ac peculiari ratione (pulcri venustique arbitrum sive aestheticum primae notae facile agnoscas) quum olim tum nuper persecutus est Gruppius libro qui inscribitur: Aecus. Ueber die Interpolationen in den Römischen Dichtern. Mit besonderer Rücksicht auf Horaz. Berlin 1872.

*****) L. I. p. CLX. Horaz nahm oder erfand sich die Form der Epistel, das heizt die Form der Formlosigkeit. Dabei hatte er auch noch die Annehmlichkeit, die er liebte, wie auch die Oden zeigen, mit dem, was er zu sagen hatte, an eine bestimmte Person sich zu wenden, sei es ein unbetheiligter, sinniger Zuhörer, sei es ein solcher, der zu dem diesmal behandelten Gegenstande in näherer Beziehung stand. In Nachahmung also der Briefform des Lebens war er nun jener Arbeit, einen plastischen Rahmen zu erfinden, überhoben. Er legte nun seine Gedanken wie sie ihm aus dem Leben und besonders jetzt auch bei der Lectüre entstanden, und — worin er ein Meister war — seine concentrirten Gnomem, in lossem Verbande neben einander; er führte den einen Gedanken, über den er mehr Treffendes zu sagen wusste, oder der ihn sonst eben mehr anzog, ausführlicher aus; jenen kürzer; konnte an Punkten auch eine Anzahl Einzelgnomen hintereinander vortragen. Dasz dabei nicht ohne alle psychologisch erkennbaren Gedanken- oder Gefühlsverbindungen verfahren wird, das ist natürlich. Aber jenen Charakter des Lockeren, Springenden, Unvollständigen, ungleichmässig Ausgeführten mus man erwarten und anerkennen.

illam quam supra commemoravi artis criticae partem a recentioribus turpiter neglegi conquerentis denuo palam ante oculos omnium proponere. sunt vero haec: ,primum complures ex his qui ad veteres auctores castigandos accedunt, hebetiore sunt ingenio et ab ipsa natura ad eam inertiam abiecti ut plane tam severi res iudicii ab eis tractari nequeat. tum saepe etiam hi quos ingenii sagacitas et interioris doctrinae cultus supra vulgus evexit, tamen hanc viam vel non ingrediuntur vel ingressi pedem offendunt propterea quod in veterum monumentis evolvendis desultoria levitate vagantur. atqui nemo modo hunc modo illum auctorem arripiens nec cum ullo intimam familiaritatem contrahens falsa et suppositicia distinguat a legitimis et germanis. is demum se sciat ad hanc iudicandi facultatem perventurum qui saepius repetita lectione in iustam scriptoris consuetudinem venerit eiusque ingenium dicendique formam ita cognorit ut quid *γνήσιον* quid *ὑποβολμιαῖον* sit, sentire et quasi gustare possit. nam saepe haec sentiuntur facilius quam verbis explanantur. denique multo plurimos nescio quae puerilis incessit superstitio ut non audeant ea supposita dicere quae tot homines eruditi tot saeculis pro veris et germanis habuerunt. quo hominum genere nescio an nullum sit impudentius et literis nobisque magis molestum. nam quod angustiae pectoris sui non capiunt, non solum gravi supercilio damnant sed etiam invidiose clamant hoc demum esse urere secare mutilare.' —

Nunc missis proemiandi ambagibus insigniores aliquot quos supra diximus huius epistulae locos paulo diligentius examinare et ad vivum si forte resecare critica qualicumque opella nostra placet.

v. 13—17.

nemo hoc mangonum faceret tibi: non temere a me
 quivis ferret idem. semel hic cessavit et ut fit
 in scalis latuit metuens pendentis habenae.
 des nummos, excepta nihil te si fuga laedit,
 ille ferat pretium poenae securus opinor.

Horatius Floro se excusaturus quod nihil literarum ad eum scripserit, lepidum mangonis exemplum proponit. ac Lehrsius quidem post v. 15 i. e. post verba mangonis qui inde a v. 3 usque ad v. 15 ipse loquens inducitur, lacunam statuit tritum illud ,sapienti sat' tali versu expressum sic si quod satis est sapienti dicat aperte

poetae nostro obrudens. quem versum tantum abest ut hic necessarium esse putem ut etiam versum 16 quem omnes membranae testantur pro spurio et adulterino habeam. en signa *νοθείας*. primum offensioni est vitiose iterata phrasis ,des nummos' quae ex v. 162 eiusdem epistulae sumpta videtur, deinde pro voce ,excepta' malim ,memorata' vel ,dicta' vel simile quid, denique ne fugae quidem commemoratio probanda quum hic potius de cessatione servi sermo sit. accedit quod duo versus illi 16 et 17 nullo nec interno nec externo vinculo continentur ut si priorem omiseris, vix quicquam desideres. apodosi vero utique hic opus esse praecedente protasi v. 2 (verba Horatii sunt) si quis putet, quid quaeso impedit quominus versus qui nunc est 17 pro tali apodosi habeatur? nihil autem (ut quod iam Ribbeckius recte monuit breviter tangam) falsius quam versum illum insiticium (16) cum Vahleno*) Muellero**) et si qui alii sunt ad sermonem ipsius mangonis referre a quo eandem sententiam iam ante v. 5

*) Zu Horatius Brief an Florus (II 2). Von J. Vahlen. Zeitschrift für die österreichischen Gymnasien. 25. Jahrgang. Wien 1874. 1. Heft. p. 12.

**) Q. Horatii Flacci carmina. Recognovit et praefatus est Lucianus Mueller. Lipsiae. MDCCCLXXIII p. 223.

fiet eritque tuus nummorum milibus octo
multo fortius et aptius expressam habes.

Sed ex hoc loco iam discedens ne quid callidius occultare coarguar, etiam duo qui praecedunt ad eundemque mangonem vulgo referuntur versus 10. 11

multa fidem promissa levant, ubi plenius aequo
laudat venalis qui volt extrudere mercis

item de interpolatione mihi suspectos videri haud diffiteor. quid enim? nonne communiter et frigide dictum illud quod ad nimiam mercium laudationem spectat et misere languet et adeo simplicem nativumque mangonis sermonem prorsus infringit? ut supra quam credas ineptus et stolidus sit mango qui mercibus suis quovis pacto laudatis et impense commendatis extemplo ipse fidem ultro sibi derogat.

v. 55—64.

singula de nobis anni praedantur euntes:
eripuerunt iocos, Venerem, convivia, ludum:
tendunt extorquere poemata: quid faciam vis?
denique non omnes eadem mirantur amantque.
carmine tu gaudes, hic delectatur iambis,
ille Bionis sermonibus et sale nigro.
tres mihi convivae prope dissentire videntur,
poscentes vario multum diversa palato.
quid dem, quid non dem? renuis quod tu, iubet alter:
quod petis, id sane est invisum acidumque duobus.

Lehrsius ὁ κριτικώτατος sine ulla offensione hunc locum legit, contra Ribbeckius omnes decem versus transponit atque post v. 140 collocat mutato praeterea ordine duorum versuum 61. 62 quos post v. 64 inserit,*) Gruppius vero solus quod sciam hic suspicionem de interpolatione dubitanter inicit. vide quam diversa sint criticorum palata. mihi quidem valde ineptum ne dicam ridiculum videtur poetam putide sex causas computare quibus adductus nihil carminum ad Florum miserit omninoque poesim iam abiiciat quum una causa quae clare et diserte indicatur inde a v. 141

nimirum sapere est abiectis utile nugis
et tempestivum pueris concedere ludum
ac non verba sequi fidibus modulanda Latinis,
sed verae numerosque modosque ediscere vitae

ad excusandum eum prorsus sufficiat. cui uni causae gravissimae si quaedam secundaria vel per iocum vel per εἰρωνείαν idem addere velit veluti v. 26—40 festivam ac bellam narratiunculam de Luculliano milite vel v. 65—76 ubi turbulentam vitam inter strepitum molestaque negotia Romana sane quam perspicue describit et venuste depingit, tales gratas lepidas et breves declinationes a proposito facile ei condonamus nec morosius eas fastidimus, dummodone a se ipso desciscens, variare cupiat rem prodigialiter unam. sed videamus singula ut falsarium in ipso facinore deprehendamus Flaccumque nostrum ab omni criminatione liberemus. ac primus statim versus

singula de nobis anni praedantur euntes

*) Eandem versuum dispositionem etiam Mauricius Schmidtus in vernacula huius epistolae versione sua secutus est. Cf. Horazische Blätter. Von Moriz Schmidt. Jena 1874 p. 61.

nonne totus languide et invita ut aiunt Minerva factus est? nec profecto memini quicquam me legere infectius atque insulsius. in reliquis autem versibus ut gravissimas tantum offensiones commemorare vox ,denique' v. 58 perperam usurpatur, tamquam si causa quae ibi a poeta affertur ultima sit, quod secus esse verissime perspexit Ribbeckius versum 65 a verbis ,praeter cetera' incipientem huc adsciscens et Doederleinii interpunctionem probans qua tamen vox illa paulo insolentius in fine antecedentis interrogationis ponitur ,quid faciam vis denique?' deinde v. 59 non recte si quid sapimus carmen a iambis tamquam diversum quid distinguitur nec satis liquet v. 60 nescio cuius Bionis philosophi sermones quamvis a bono scholiasta fuisse et adeo literate laudati quales tandem sint et quid sibi hic velint. huc adde v. 61 male positum ,prope' ubi multo fortius dictum vel tale exspectes ,tres convivae prorsus dissentiunt' pro eo quod in libris est ,prope' dissentire ,videntur,' v. 62 item debile dictum ,multum' diversa pro ,nimium' diversa et infectam sane duorum adiectivorum idem significantium consociationem vario diversa, denique cogita quaeso quam sit ineptum totum hoc interpolatoris de ,diverso palato' commentum quo Florus se quoque satis inurbane tactum esse facile conqueri possit: nuncinē obsecro mirabere talia huius epistolae additamenta et quasi condimenta ,salis nigri' plena nobis videri et nostro quidem palato nimis ,acida' esse ut cum ipso interpolatore loquar.

v. 65—71.

praeter cetera me Romaene poemata censes
scribere posse inter tot curas totque labores?
hic sponsum vocat, hic auditum scripta relictis
omnibus officiis: cubat hic in colle Quirini,
hic extremo in Aventino, visendus uterque:
intervalla vides humane commoda, verum
purae sunt plateae, nihil ut meditantibus obstat.

Postquam Meinekii versui 70 corruptelae signum sanissimo iudicio apposuit, inventi sunt qui veterum scholiastarum Horatianorum*) decantata commenta iterum praepostere amplecti mallent sua quisque ratione locum interpretantes uti Hirschfelderus: ziemlich weite Entfernungen, recht artige Distancen, Fritzschius: ganz charmant bequeme Distancen, Vahlenus: liebreich zuvorkommende, freundlich einladende Entfernungen. contra alii critici adverbium ,humane' idem esse quod probe pulchre Graecorum *μετρίως ἐπιεικῶς καλῶς* confidentissime negantes varias coniecturas excogitarunt veluti Froehlichius tale quid: haud sane commoda probatum Lehrsio et Muellero (qui tamen haud sane commoda scribit**), Ribbeckius: homini uni commoda propter duram et inusitatam synaloepham explosum a Lehrsio et Vahleno, Mauricius Schmidtus: naturae (scilicet meae) commoda, Duentzerus: insanum commoda: ganz abscheulich angenehme Entfernungen, Jeepius: insane commoda: eine verwünscht bequeme Entfernung. quas quidem coniecturas

*) Veluti Porphyrius: *εἰσωνεία* per quam ostendit quam vehementer distet — ,mediocriter magna': nam antiqui pro magno ,commoda' dicebant. vel Aconis ,humane' pro ,probe' et ,commoda' pro ,brevia' accipientis et arbitratu suo tale quid addentis: sed contrario ostendit quod magna sint. quae vocis ,humane' significatio latine quidem scienti non poterit non prorsus nova et inaudita in omni Latio videri.

**) Lektionen Horatianae. Cf. Mélanges Gréco-Romains tirés du bulletin de l'académie impériale de sciences de St. Pétersbourg. Décembre 1873. Tome III p. 717.

iunctim commemoratas invenies si tanti est in appendice novissimae editionis Kruegerianae.*) iam vero in tanta coniecturarum ubertate et copia ne omnino asymbolus veniam, de meo quoque aliquantulum promam. ac primum quidem ironiam ab hoc loco prorsus alienam esse (id quod potissimum contra Ribbeckium moneo) vel inde perspicitur quod si huius enuntiati sententia vel aliqua ex parte tecta et dubia esset, Horatius nequaquam adversarium fingere potuisset sic clare et aperte loquentem ac respondentem v. 71: ‚verum purae sunt plateae nihil ut meditantibus obstet.‘ ne multa — pro ‚commoda‘ potius scribendum conicio ‚incommoda,‘ in prava vero scriptura ‚humane‘ latere suspicor ‚immane,‘ ut facili opera ipsam Horatii manum sic recuperasse nobis videamur: ‚intervalla vides immane incommoda.‘ quod quidem hoc modo vertimus: ungeheuer beschwerliche Entfernungen. sic duo turpissima scripturae tralaticiae menda velut uno ictu sustulimus quorum origo haud sane obscura: etenim postquam mendum ‚humane‘ librariorum imperitia in locum pristinae quam modo instauravimus scripturae ‚immane‘ cessit, nimirum ironica vocis ‚humane‘ interpretatio a scholiastis insipienter excogitata etiam alterum commentum item εἰρωνικῶς interpretandum i. e. ‚commoda‘ pro ‚incommoda‘ necessario consecrarium habuit.

v. 72—76.

festinat calidus mulis gerulisque redemptor,
torquet nunc lapidem nunc ingens machina tignum,
tristia robustis luctantur funera plaustis,
hac rabiosa fugit canis, hac lutulenta ruit sus:
i nunc et versus tecum meditare canoros.

Voces ‚mulis gerulisque‘ vulgo pro ablativis habentur uti a Kruegero qui vocabula ad rem militarem spectantia ‚ingenti exercitu, omnibus copiis proficisci‘ quae omissa praepositione ‚cum‘ usurpari solent, hic componit, Theodorus Schmidius vero dudum de horum ablativorum usu dubitationem moverat dativum potius praeferens ex adiectivo ‚calidus‘ aptum, denique in coniecturam ‚atqui instat‘ pro ‚festinat‘ olim se incidisse modeste et caute significans. quam quidem coniecturam solus Lehrsius commemoravit ac probavit nisi quod parva mutatione ‚nempe instat‘ scribere maluit. equidem ut breviter dicam quod sentio non solum in nudis his ablativis offendo verum etiam notionem verbi ‚festinat‘ hic parum aptam esse vel inde patere contendo quod si reapse ‚festinaret‘ redemptor iste cum ‚mulis gerulisque‘ suis, non esset sane cur Horatius de impedimentis sibi ab eo paratis valde quereretur. quae quum ita sint utrumque incommodum et vitiosos ablativos et festinandi verbum removebimus scilicet versiculo Horatiano sic facillime et lenissime in pristinum nitorem restituo:

fuste necat calidus mulos gerulosque redemptor.

‚fuste necat‘ nostrum est: er prügelt zu Tode. quod quidem tam in illustrem hanc vitae quotidianae Romanorum descriptionem et quasi picturam qua nihil vividius nec elegantius quam in duros redemptoris mores quadrat ut quod maxime. quem locum eximia arte a poeta expressum nemo non sentit quantopere pessumderit transpositione sua Ribbeckius qui post v. 75 duos versus 97. 98 inculcat, quos quidem versus hinc alienos esse Vahlenus quoque sensisse videtur.

*) Des Q. Horatius Flaccus Satiren und Episteln. Erklärt von Dr. G. T. A. Krüger. 8. Auflage. Besorgt von Dr. Gustav Krüger. Leipzig 1876. p. 372.

v. 87. 88.

frater erat Romae consulti rhetor ut alter
alterius sermone meros audiret honores.

Hic 'frater' quantumvis bonus atque adeo amabilis qualis quidem hoc loco describitur, tamen pridem Bentleium valde torserat eique vel talem mutationem extorsit: 'pactus erat Romae consulti rhetor.' qua quidem ingeniosissima coniectura itemque egregia eiusdem viri divini ad hunc locum adnotatione uti nesciit noviciorum quorundam criticorum vulgatae scripturae quovis pacto adhaerentium pertinacia an inertia. nempe ut alios taceam vulgatam scripturam praeuentibus Theodoro Schmidio et Doederleinio cupidius amplexi sunt Ribbeckius et Vahlenus. et hic quidem dubitanter nec sine ambagibus locum sic interpretatus est: ein Brüderpaar von solcher Art, dasz der Eine nur des Anderen Lob singt. incassumne igitur magnus Bentleius praeclaros doctrinae et ingenii sui thesauros prompsit eosque tam large et benigne e 'pleno cornu copiae' suo hic effudit? haud crediderim. en integram adnotationem Bentleianam ut suo quisque arbitratu et iudicio de tanta causa cognoscere possit: 'nondum ex hoc loco discedere licet qui iterum negotium facessit. disertissimus quippe Heinsius insolentia dictionis offensus quis ita loquatur, inquit, Romae rhetor frater iurisconsulti erat ut alter alterum laudaret et honores meros attribueret? aut ne a verbis recedamus: 'frater erat Romae consulti rhetor ut alter alterius sermone meros audiret honores.' quis Latinus scriptor umquam ita est locutus? quis sanus dicat: 'ego orator, frater meus erat poeta ut alter alterum semper laudaremus?' et tamen idem est quod hic scripsit Flaccus. ex quo cuivis iam appareat necesse est nihil minus quam integram sententiam esse. quare ut efficeret quod voluit, hoc aut aliquo saltem simili modo fuerat scribendum: 'insani ita demens frater erat Romae consulti rhetor' -- manifestus igitur hiatus est et sententiae defectus. enimvero non hoc de nihilo est quod vir doctissimus irascitur: et miror equidem interpretes tam qui ante quam qui post Heinsium scriptori huic operam impenderunt altissimo haec silentio praeterire. sed hoc sapere est: quae neque emendare potes nec ullo exemplo defendere transilire tamquam sana neque in suspensionem vocanda. ut quidem pro ita ut et alibi noster adhibet satis inusitate: serm. I, 7. v. 13. ira fuit capitalis ut ultima divideret mors. et epist. I, 16. v. 12. fons etiam rivo dare nomen idoneus ut nec frigidior Thracam nec purior ambiat Hebrus. quae perinde sunt ac si plene dixisset ita capitalis ut, ita idoneus ut. verum in hoc de quo agimus loco ipsum illud adiectivum deficit sententiae sane necessarium: frater erat consulti rhetor ita demens (ut comode supplet Heinsius) ita stultus et stolidus ut alter alterum magnificis nominibus compellarent. sed nec hoc emplastro totum ulcus contegitur ut vidit quoque Heinsius: requiritur siquidem ut ambo fuerint stolidi: 'erat Romae stolidus rhetor stolidi itidem consulti frater etc.' quid ergo? magni sane emerim interpretem qui locum hunc expedire possit: nam ut nunc vulgo circumfertur non id efficit quod voluit Horatius: frater erat Romae consulti rhetor ut alter alterius sermone meros audiret honores. quid tum postea? quid in hoc vituperas? quid prohibet cur ut meros ita et meritos honores audirent? nihil enim dicis quo minus existimemus alterum re non ipsa consultissimum fuisse alterum disertissimum. iam vero quod fratres fuisse narras: tanto hercle minus derisui sunt quum vel fraternae necessitudinis causa aut defendi aut saltem excusari possint. haeret profecto haec res nisi quis Hercules subveniat: interea vide quid mihi in mentem venerit qui sic ab Horatio profectum esse suspicor: 'pactus erat Romae consulti rhetor ut

alter alterius sermone meros audiret honores: Gracchus ut hic illi, foret huic ut Mucius ille.' enimvero sic hanc lectionem adsciveris, sententia clara erit et egregia: quippe eo ipso ridiculi et vecordes erant quod paciscerentur ut alter alterum magnifice laudarent quasi gloriam et rem ex alternis laudibus apud populum aucupaturi. quae stulta calliditas nec nostri temporis quibusdam deest quorum mutuas quasi ex pacto convento laudationes vident ridentque nasutiores. huius similis, inquit, furor etiam nos poetas agitat qui non puro vero sed mutua assentatione (Porphyrius verba sunt) alter alterum in caelum efferimus: hic me Alcaeum alterum praedicat ea nundinatione ut ipse a me vicissim Callimachus vel si id non satis est Mimnermus appelletur: quum alias domi et intra limen καὶ τέκτονι τέκτων καὶ ἀοιδῶς ἀοιδῶς uterque utriusque invidemus et male volumus. atque hinc maxime confirmatur emendatio nostra pactus erat, absque qua esset, consultus ille et rhetor non composito sed vere et ex animo laudavisse invicem merito crederentur. neque vero tam longe abscedit a vulgata lectione quam harum rerum imperitis potest videri: quum si literam initialem demseris et terminationes notis pro librariorum more non literis scripseris, residuae erunt haec tantum literae rat et act lippientem scribam facile decepturae. Livius XLIV, 26. (§ 4.) hic pacti erant eques denos praesentes aureos pedes quinos! Cicero pro Sextio c. 25 (extr.) ut Gabinio pro illa sua Cilicia quam sibi si remp. prodidisset, pactus erat, Syria daretur. Digest. II. 14. 17. (§ 4.) hoc Julianus scribit in patre qui pactus erat ne a se neve a filia peteretur. recte autem pactus ut audiret. Ovid Metam. IV. (v. 703) ut mea sit virtute mea servata paciscor. et Fast. IV, 613. pactus nisi Juppiter esset bis tribus ut caelo mensibus illa foret. Suetonius Caesare XIX. pactus ut is nummos de suo communi nomine per centurias pronuntiaret. atque ita passim scriptores. quin et illud recte pactus consulto casu dativo etsi frequentius sit cum consulto. Ovid. Heroid. XVI. 35. te peto quam lecto pepigit Venus aurea nostro. et XX, 157 (159) haec mihi se pepigit: pater hanc tibi primus ab illa. Digest. II, 14. 27 (§ 10) servus heredi post adituro nominatim pacisci non potest quia nondum is dominus sit: sed si in rem pactum conventum factum sit, heredi adquiri potest. — ceterum post Bentleium etiam Meinekius duram illam sermonis latini strabiliginem agnovit quam tamen aliter ac Bentleyus remove conatus est nimirum locum lacunosum esse suspicans eumque redintegrans sic ratiocinando: haec quotiescumque legi, non recte dicentis poetae sed misere balbutientis orationem audire mihi visus sum. quid enim hoc est: Romae olim par fratrum fuit ut summis se invicem laudibus efferrent? quae non infantia dicendi est sed perfecta perversitas cui mitigandae ne ii quidem aliquid attulisse censendi sunt qui fratrem de eo qui fraterno amore amat interpretantur, ita enim hoc diceretur: rhetor consultum tam fraterno animo amabat ut — uterque se invicem summopere laudaret. quae illa non sanior oratio est. quid igitur fiet? num emendatione locum in ordinem redigendum conabimur? ea vero sat scio reperiri potest nulla. lacunosus locus est ita quidem ut post rhetor aliquid excidisse videatur quo utrumque alterum vehementer admiratum esse dictum erat. id si concedatur, vix dubitari poterit quin ipsa fere Horatii verba reppererim scribendo:

frater erat Romae consulti rhetor [uterque
alterius laudum sic admirator] ut alter
alterius sermone meros audiret honores.

in quibus sic admirator prorsus ex Horatii more dictum est. cfr. epist. II, 1, 23. sic fautor veterum. sat. I, 10, 10. quis tam Lucili fautor inepte est.' et Meinekianum quidem *ἰκμιον*

admodum placuit Muellero et Lehrsio ut ille signum criticum huic loco appingeret, hic adeo totum emblema in textum exemplaris sui reciperet, mihi quidem nec tanto Meinekii molimine nec omnino Hercule aliquo ad cuius subsidium Bentleius hic provocaverat videtur opus esse. quantilli enim quaeso negotii est si quidem solam sermonis latini integritatem et elegantiam tuare, pro subditio ,fratre' illo vel tale quid substituere:

fretus erat Romae consulto rhetor ut alter
alterius sermone meros audiret honores.

fretus (i. e. adeo fretus ut) idem est ac nostrum: übermüthig, pochend, trotzend auf etwas malam-que in partem necessario hic accipiendum.

Sed hercle fortasse omnis hic labor frustra a nobis impenditur curantibus videlicet locum spurium et interpolatum qui nulla alia medicina persanari poterit nisi spongia. qualem quidem fortiolem medicinam nescio an etiam pluribus huius epistulae locis adhiberi necesse sit. nec aliter iudicarunt velut Daniel Heinsius qui testante Bentleio quattuor et quinquaginta versus 87—140 ex sede sua eiecit et in epistulam priorem ad Augustum post versum 229 transduxit et collocavit, tum Ribbeckius qui septem versus 183—189 et Gruppius qui adeo sexaginta quattuor versus 77—140 tamquam hinc alienos et male cohaerentes suspectavit, denique Lehrsius qui praeter sex versus 81—86 etiam extremae epistulae tres versus 180—183 et versum 213 interpolatori debere et sagacissime perspexit et evidentissime demonstravit. sed verum ut fatear mihi ne hi quidem Aristarchi an Zoili Horatiomastiges omnino satisfaciunt. quippe dudum haud mediocriter animum pungunt et discruciant etiam duo extremae epistulae loci pseudohoratiani ut videtur.

v. 199—204

pauperies immunda domus procul absit: ego utrum
nave ferar magna an parva, ferar unus et idem.
non agimur tumidis velis aquilone secundo,
non tamen adversis aetatem ducimus austris:
viribus ingenio specie virtute loco re
extremi primorum, extremis usque priores.

et v. 208—210.

somnia terrores magicos miracula sagas
nocturnos lemures portentaque Thessala rides?
natales grate numeras? ignoscis amicis?

quid vero? ex hisce novem versibus fortasse tamen unus et alter Horatii calamo dignus videbitur. esto. sume agedum exempli causa versum primum (199) et cogita Horatium primo ,pauperiem immundam domus'*) a se detestantem ac deprecantem, rursus proximo versu nihil referre dicentem ,utrum nave feratur magna an parva,' cogita porro Horatium ibidem ,viribus ingenio specie virtute loco re extremum priorum, extremis usque priorem,' denique considera quaeso versuum 201. 202 exilitatem ne dicam insulsiatatem quibus metaphora a re navali bis putide repetita idem Horatius sane quam inepte neque fortunatus neque infortunatus vocatur, et pinguissimum hominis ut uno verbo dicam ἀνοουσιότατον commentum rudesque versus illos si quidem hoc nomine digni sunt iratis ut ita dicam Musis pueriliter fusos statim eredo agnosces. sed transeamus ad alterum locum: ibi

*) Hunc locum variis coniecturis certatim temptarunt critici. sed omnes operam perdidisse mihi videntur scilicet laterem ut dicitur lavantes.

en etiam incredibilia quaedam tamquam incurrunt in oculos uti ,somnia terrores miracula sagae nocturni lemures portenta' et quod addiderim — merae nugae. quis enim quaeso ut aniles narratiunculas illas nutricularumque quasi fabulas quasdam de ,somnia terroribus miraculis sagis lemuri- bus atque adeo de portentis' praetermittam ,natales grate numerat' nisi qui aetatis annos quam celerrime praeterlabi gaudeat quemque vitae prorsus pertaedeat? denique ,ignoscere amicis' quum omnibus hominibus si quidem vel modice sani sunt commune sit, item falso hic tamquam magnum et singularare quid in gravissimis vitae praeceptis numeratur. apage igitur sordidos pannos istos Horatio nostro a nugatore aliquo ineptissime assutos quibus resectis admirabilis illa poetae in epistulis componendis venustas mirum quantum elucet atque exsplendescit.

Ceterum interpolationibus investigandis fortasse nimis intentum nescio quo pacto effugit versiculus vere quidem Horatianus at paululum tamen a librariis infuscatus et insuper criticorum omnium naufragiis infamis. quem periculosum sane scopulum ne Bentleius quidem omnino salvus praetervectus est. apponam totum locum:

v. 170—174

sed vocat usque suum qua populus adsita certis
limitibus vicina refugit iurgia, tamquam
sit proprium quicquam, puncto quod mobilis horae
nunc prece nunc pretio, nunc vi, nunc morte suprema
permutet dominos et cedat in altera iura.

et primum quidem haud sane inutile videtur etiam hic egregiam Bentleii adnotationem penitus pernoscere tralaticium illud refugit iure reicientis sic argumentando: ,quorsum refugit tempore praeterito? id sic intellige tamquam ea olim causa manu sata esset populus ut litem de finibus inter vicinos ortam sedaret. refugit autem morate accipies quasi dominus fugitans litium cederet finibus vicino ut vel periculum litis vel impendia evitaret. sed Lambini aliquot codices et a manu secunda Petrensis aliud quid suppeditant limitibus vicina **refigit** iurgia. et sane tempus praesens huic loco magis videtur accommodatum praesertim quum non unam aliquam litem sed plurative iurgia dixerit. refigit iurgia quae quovis tempore inter vicinos de finibus constituendis excitari possint. refigere idem hic quod resolvere: ut noster serm. II, 3. v. 103. nil agit exemplum litem quod lite resolvit. eqs.' atque Bentleianam rationem ac viam secuti sunt reliqui critici omnes alius alio modo locum corrigentes. veluti Lehrsius refixit commendavit proxime ad Bentleium accedens, Horkelius refringit, Ribbeckius refutat, Dinterus recusat. sed notionem ,prohibendi' quae sane latere in prava scriptura refugit videtur si exprimere voluisset Horatius ipsi ,populo adsitae certis limitibus' tribuens quod agri dominus illius satione spectabat i. e. ut iurgia et rixas vicinorum de terminis agrorum prohiberet, profecto hic legeremus excludit, in quod novi qui incidere quodque alio loco reapse scripsit Horatius epist. II, 1, 38 excludat iurgia finis. verum enim vero prorsus diversum et contrarium quam omnes critici opinati sunt dicere voluit Horatius si quidem totum sententiarum filum in hac epistulae parte paulo attentius consideramus. scilicet Horatius in altera eaque graviore epistulae parte quae inde a v. 141 incipit inter causas quibus perductus sit ut poesim missam faciat, sapientiae studium affert cui quidquid sibi vitae relictum sit tribuere iam constituerit statimque gravissima quaeque vivendi praecepta percensens communem aevi sui pestem avaritiam potissimum perstringit ac vituperat. nec tamen severe et morose hoc facit sed pro more suo per *εἰγορέϊα* facete et iocose ipsos homines avaros ridens eorumque quasi quasdam tabulas proponens. sic hoc quem discepta-

mus loco novum quendam agri emptorem quem repente fortuna extulit cum vicinis suis de terminis agri a se empti iurgantem et rixantem describit. quem quidem fortunae filium consentaneum est a poeta hoc loco fingi contra vicinos durum iniustum et avarum qui vel illud ‚suum vocat quod non est ‚suum’ sed vicini. nunc vero nemo opinor erit quin sentiat quae tandem notio hic pro futilissima scriptura refugit substituenda esse videatur. nempe non excludit sed potius recludit i. e. indicat ostendit aperit patefacit. quo Horatius iurgia de agrorum terminis inter vicinos revera exstare vel saltem olim ‚populo illa nondum adsita certis limitibus’ exstitisse neque ullam possessionem certam esse, immo perpetuo permutari dominos festive significare vult, id quod etiam proximis versibus explicatius persequitur. —

Restat ut quaecumque his schedulis subsicivis in Flacco temptavimus eorum summam nunc brevi in conspectu ponamus.

I. Primum quidem solo coniecturae nostrae cuiusmodi est adminiculo persanare conati sumus hos quattuor desperatos locos: v. 70, v. 72, v. 87 (ubi sive ipsius Horatii sive interpolatoris versus est coniecturam a nobis propositam fretus pro manifesto glossemate*) frater utique tuemur), denique v. 171.

II. Tum interpolationes quas nondum a criticis animadversas probabiliter indagasse nobis videmur hae sunt: v. 10, 11, v. 16, v. 199—205, v. 208—212. et fortasse etiam v. 159. quem quidem verum propter insolentem usum vocis usus ceteroquin ab hoc loco prorsus alienae (quippe agitur ibi de ‚emptione et possessione’ non de ‚usu fructu’ ut cum iure consultis loquar) pridem suspectum et nescio quo pacto antea a nobis praetermissum olim huc redituri accuratius tractabimus. praeterea accedunt interpolationes a Ribbeckio Lehrsio et Gruppio iam detectae et indicatae quas omnes sine ulla exceptione probamus. ac Ribbeckius quidem agnoscendarum in hac epistula interpolationum parcissimus et ad panaceam transpositionem suam propensior septem tantum versus 183—189 hinc removit quos post v. 11 epistolae XII libri primi audacissime collocavit, Lehrsius decem versus suspectavit v. 81—87, v. 180—183 et v. 213, Gruppium vero quem ad investigandas interpolationes multo proclivorem supra novimus, potissimum sexaginta tres versus 77—140 obelo notavit de altero qui praecedit loco v. 55—64 caute suspicionem tantum movens, id quod ante iam monuimus curiosius et accuratius universum hoc genus sciscitantes et latius illud patere suspicantes. ut profecto si quis omnes huius epistolae locos quum ab aliis criticis quos modo nominavimus tum a nobis in suspensionem vocatos computare velit, admodum ingentem versuum ab Horatio abiudicatorum numerum non sine stupore aliquo inventurus atque e tralaticia illa CCXVI versuum ubertate nil nos nisi pauca frustula Horatiana reliqui fecisse graviter indignaturus sit. cui quidem acerrimo nimirum vindici Horatiano haec et horum similia conquerenti facinusque adeo nefandum in optimum poetam secundo urendo a me commissum clamitanti dum solacium quoddam delinimentumque irae circumspicio, en peropportune verba Gruppium occurrunt sic ratiocinantis p. 332: ‚Allerdings glaube ich hier eine Herstellung vollbracht zu haben, welche uns recht eigentlich den wahren Horaz zeigt, so wie sie denn ein Gedicht rettet, das einen Höhepunkt der römischen Literatur bezeichnet. In der That, wir haben Horaz,

*) Glossema illud e vacuo capite male seduli librarii tritissima simillium vel dissimilium ‚fratrum’ exempla undecumque conquirentis et cumulantis prodisse mihi videtur. simile vel potius dissimile par ‚fratrum’ item importune ac moleste nobis occurrit v. 183 eqs. huius epistolae.

seine Launen, seine Feinheit, seine weltmännische Gewandtheit wieder, und damit besteht schwerfällige Lehrhaftigkeit so wenig wie jene wilde Planlosigkeit, welche in dem Ueberlieferten so stark hervortritt. Bei der vollbrachten Ausscheidung darf aber nicht unbeachtet bleiben, von welcher Art sich hier wieder die interpolierten Stellen erweisen: sie haben viel Bestechendes und sind keineswegs einzelner Vorzüge baar, sie deuten aber besonders auf rhetorische Bildung, namentlich auch auf gute rhetorische Principien hin und können unmöglich der Zeit eines tieferen Verfalls angehören; sind sie doch sogar leichter und fließender als der echte Horaz! — ganz im Einklang mit dem Ergebniss unserer Untersuchungen und immer neue Mahnung, wie sehr man auf der Hut zu sein hat.' — quae quidem Gruppianae verba haudquaquam dubito mea facere exceptis ultimis quae probare nequeo ut quibus interpolati versus illi immerita laude ornentur, non quod sollertem aliquem interpolatorem concinnandis aliquot versibus hexametris interdum etiam feliciter cum Venusino nostro concertare potuisse omnino negem, sed quia persuasissimum mihi est reapse versus istos (veluti 77—140) toto coelo a vero ac genuino Horatio distare sive argumentum sive singula verba spectas: quod quidem nunc pluribus persequi longum est.

III. Denique etiam ad reliquam emendationis Horatianae partem quam transpositionibus et lacunis contineri supra diximus diligenter animum attendimus. sed quod vix credendum — frustra, ut miro sane ac raro artis criticae exemplo haec quidem epistula utrumque corruptelae genus prorsus effugisse videatur. nam nec Ribbeckii transpositiones v. 55—64 (61. 62), v. 97. 98 et v. 183—189 nec duas Lehrsii lacunas v. 15¹ et v. 87¹ (quem versus a Meinekio lusum esse constat) ullo modo probare possumus. nec vero nobis ipsis quamvis sedulo quaerentibus et tria illa corruptelae genera fere iuncta et commixta in veterum scriptorum membranarum inveniri solere bene recordantibus in hac saltem epistula qualem quidem nos a mendis librariorum pannisque et centonibus interpolatorum liberam et ingenio ac stilo Horatiano usque quaque dignam reddere pro virili parte studuimus, ullus locus inesse videtur ita comparatus ut fortiore transpositionis vel lacunae medicina ad persanandum opus sit. —

Schulnachrichten.

Erster Abschnitt.

Allgemeine Lehrverfassung.

Prima.

Ordinarius: Herr Oberlehrer Weierstraß.

Deutsch. Uebersicht der älteren National-Litteratur mit Proben aus Bone. Lectüre: Lessing's Laokoon, ausgewählte Gedichte Walthers von der Vogelweide, Goethe's Torquato Tasso, Schiller's Braut von Messina. Leitung der Privatlectüre. Grundlehren der Logik. Dispositions-Uebungen. Freie Vorträge. Monatliche Aufsätze. Klassenarbeiten. 3 St. Herr Gymnasial-Lehrer Kowalek.

Latein. Cic. pro Murena. De natura deorum I. Quaest. Tusc. I. Repetitionen aus der Grammatik. 14-tägige Exercitien nach Süpfle, 14-tägige Probearbeiten, monatliche Aufsätze, Uebungen im Lateinsprechen. Leitung der Privatlectüre und freie Vorträge nebst Disputationen. 5 St. Der Ordinarius. Horat. carm. lib. I. und II. Ausgewählte Epoden und Episteln. Wiederholung von lib. III. und IV. der Oden nebst metrischen Uebungen. 2 St. Der Director. Cursorische Lectüre: Tacit. annal. I. I., Agricola und Hor. epist. ad Pis. 1 St. Derselbe.

Griechisch. Plat. Euthyph, Charmides und Phaedon (zum Theil), Demosth. c. Philipp. I. II. Olynth. I. Grammatische Repetitionen nach Buttman. Correctur der 14-tägigen Exercitien. Extemporalien und Klassenarbeiten. 4 St. Der Director. Hom. Iliad. lib. I.—VI. Privatlectüre Ilias lib. XV.—XX. Extemporiren ungelesener Stellen. Nach Dstern Sophocles Antigone. 2 St. Der Ordinarius.

Französisch. Lamartine: voyage en Orient und Corneille: le Cid. 14-tägige Exercitien und Extemporalien. Monatliche Klassenarbeiten. Repetition der Grammatik nach Knebel. Sprechübungen. 2 St. Herr Gymnasiallehrer Dr. Bludau.

Hebräisch. Wiederholung der Formenlehre nach Bosen, die unregelmäßigen Verba und die wichtigsten Regeln aus der Syntax. Uebersetzt und erklärt wurden mehrere Psalmen und einige Kapitel aus Hoseas. Schriftliche Uebungen. 2 St. Herr Religionslehrer Lic. v. Laskowski.

Religionslehre. a) Für die katholischen Schüler. Nach Dubelmann aus der Glaubenslehre: Die Lehre von der Offenbarung und ihrer Göttlichkeit, von der h. Schrift und Tradition, die Lehre von den Sacramenten. Aus der Kirchengeschichte das III. Zeitalter. Gelesen wurde das Evangelium des h. Matthäus im Grundtexte. 2 St. Herr Religionslehrer Lic. v. Laskowski. b) Für die evangelischen Schüler. Bibelfunde des N. T. Lehre von der Heiligung. Sittenlehre. Die alte Kirchengeschichte. Einige Kapitel des Römerbriefes nach dem Grundtexte. 2 St. Herr Religionslehrer Brachvogel.

Geschichte. Nach Büß Geschichte des Mittelalters. Repetitionen aus der Geschichte des Alterthums, der neueren Zeit und der brandenb.-preussischen Geschichte. 2 St. Herr Gymnasiallehrer Löns.

Geographie. Die Länder Europa's, namentlich Preußen und Deutschland. Wiederholungen der außereuropäischen Erdtheile. Uebungen im Entwerfen von Skizzen. 1 St. Derselbe.

